



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quid sit maledictio & conuicium, flûchen oder schelten.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452



1.

Rimò, maledicere est pximo suo ex commotione iræ seu inuidiæ quiduis malū increpari, & eum diris deuouere, pesti, plagæ corporis & animæ, quod est grauiissimū peccatum, & contra regulam quā nobis præcepit Christus Matt. 7. Omnia quęcunq; vultis vt vobis faciant homines, eadē & vos illis facite. Ideò Apostolus Rom. 15. admonet, dicēs: Benedicite, & nolite maledicere, quia hoc est contra charitatem proximi; hoc vitium maximè excitat Sathanas ex ira & inuidia contra proximum in congregatione aliorū, sicut in conuiujs mensæ. Sic enim Sichimitæ inter epulas & pocula maledicebāt Abimelech, Iudi. 19. Sed postea poenam grauem sustinuerunt &cæt. Inter commensales enim nihil nisi bonum de absentibus est dicēdum: de maledicis autem Psalmista dicit Psal. 5. Venenum aspidum sub labijs eorum, lingujs suis dolosè agebāt, iudica eos &c. id est, punias eos Deus. Maxima contumelia fit Deo, *schmähunge*, per hoc vitium maledictionis. Nā vt dicit Augustinus serm. de S. Stephano, Deo aliud imponitur officium, quàm sibi competit. Deus enim vult omnes homines saluos fieri, 1. Tim. 2. & ideò misit filium suum in mundum, vt mundus saluaretur per ipsum, Ioann. tertio, & Ecclesia orat: Deus, cui proprium est misereri & parcere, &cæt. & in litanijs orat, ne Deus plagis diuersis nos perimat, sed nos cōseruare dignetur à peste, gladio, subitanea morte &c. Quàm igitur graue peccatum sit, quod ex Deo facimus aduersarium nostrum, & quasi licentem aut sicarium, qui tamen dicit Eze. 18. Nolo mortem peccatoris, &cæt. videant illi quibus hoc peccatum commune est.

2.

Secundò scriptura notat quædam hominum genera, quibus maledicere grauiissimum est peccatum, & primò prælatis, rectoribus & Magistratui. Exo. 22.

Dijß